

## CRITICA ET HERMENEUTICA

II. Quae supra p. 283 seqq. huius uoluminis de lacuna archetypi carminum Odysseae probauimus, eadem de Iliade intellegentur simplici interpretatione et sobria uersuum Φ161 seqq.:

ὧς φάτ' ἀπειλήσας, ὁ δ' ἀνέσχετο δῖος Ἀχιλλεύς

Πηλιάδα μελίην· ὁ δ' ἄμαρτῆ δούρασιν ἄμφω

ἦρωσ Ἀστεροπαῖος, ἐπεὶ περιδέξιος ἦεν . . .

καὶ ῥ' ἐτέρῳ μὲν ἰδοῦρι σάκος βάλεν· οὐδὲ διαπρὸ

165 ῥῆξε σάκος, χρυσὸς γὰρ ἐρύκακε, δῶρα θεοῖο·

τῷ δ' ἐτέρῳ μὲν πῆχυν ἐπιγράβδην βάλε χειρὸς

δεξιτερῆς . . .

V. 162 ὁ δ' ἄμαρτῆ δούρασιν ἄμφις libri uulgares, cum omissum sit uerbum *βάλεν*. Quae lectio placuit multis, item placuit anacoluthon, quod agnouerunt: neutrum tamen credibile erit. Nam qui aut ellipsin aut anacoluthon credunt fieri, ei caueant, ne desipientem inducant poetam: ita obscura et contorta commendatur constructio lectoribus repugnantibus. Deinde inepte post *ἄμαρτῆ* aduerbium positum est *ἄμφις* id est post 'una' particulam alteram altera contrariae significationis. Duobus enim iaculis una comprehensis iaculatur Asteropaeus, *ἐπεὶ περιδέξιος ἦεν*. Quod adiectiuum non nisi hoc loco legitur in Homeri poesi, ambidextrum hominem ita significari nullo bono argumento probatur, uidetur potius indicari uir dextera omnium ualentissimus. Qui cum duobus simul iaculis utatur, altero Achillis scutum feriat, altero eiusdem laedat ulnam, hoc ipsum quod duo simul tela iactauerit a poeta dilucide debuit dici. Illud *ἄμφις*, quod libri exhibent et editiones, abiciendum erit, seruandum quod editio Massaliensis exhibuit sola auctore scholiasta Veneto A ad u. 162: *δούρασιν ἄμφω*. Nemo enim poeta in pugnae descriptione rem maxime insignem, quod duobus iaculis propugnat lectori tradit supplendam, sed uerbis apertis ipse suis accurate indicat. I. H. Vossius ad hymni in Cer. 15, qui exit in uerba *χερσὶν ἄμ' ἄμφω*, exposuit *ἄμφω* esse indeclinabile, sicuti K 253 legitur *τῶν δύο μοιράων*, in Atellana scriptum erat *te duo uerbis* (Wiener Stud.

XX 1898 p. 322), casus oblicus primum legitur hymn. Mercur. 50: ἀμφοῖν. Anacoluthon denique non temere uulgo nec sine causa adhibent scriptores, sed et arte et cum causa. Itaque uide ne rectius sit conicere in pugnae descriptione simplici et breui excidisse uersum qualem suppleuimus, quam licuisse poetae uel lubitum esse balbutire contra rationem et sanam mentem. Sed arcessenda potius sunt supplementa e *N* 159 seqq., ubi legitur:

Μηριόνης δ' αὐτοῖο τιτύσκετο δουρὶ φαεινῶ,  
 160 καὶ βάλεν οὐδ' ἀφάρμαρτε κατ' ἀσπίδα πάντοσ' ἔιστην  
 ταυρείην· τῆς δ' οὔτι διήλασεν ἀλλὰ πολὺ πρὶν  
 ἐν καυλῶ ἑάγη δολιχὸν δόρυ·

et 370:

Ἴδομενεὺς δ' αὐτοῖο τιτύσκετο δουρὶ φαεινῶ  
 καὶ βάλεν ὕψι βιβάντα τυχόν·

Neque igitur quidquam aliud poterit suppleri, nisi quod unum desideratur, ut memoretur iaculorum duorum collineatio antequam feriretur:

ὁ δ' ἀνέσχετο δῖος Ἀχιλλεὺς  
 Πηλιᾶδα μελήην· ὁ δ' ἀμαρτῆι δούρασιν ἄμφω  
 ἦρωσ' Ἀστεροπαῖος, ἐπεὶ περιδέξιος ἦεν,  
 <ἐμμαπέως αὐτοῖο τιτύσκετο ἰσόθεος φῶς>  
 καὶ ῥ' ἑτέρω μὲν δουρὶ σάκος βάλεν· οὐδὲ διαπρὸ

165 ῥῆξε σάκος·

Quae si recte disputata erunt, de Iliadis libro archetypo librorum omnium idem erit dicendum quod supra diximus de archetypo Odysseae. Quod nihil dubitauimus Massaliensis editionis lectioni dare palmam, id factum est iudicio philologorum Alexandrinorum, quorum dux et princeps fuit Aristophanes Byzantius. Etenim quamquam de singulorum uel librorum uel editionum uirtute et dignitate nusquam in commentariis seruatum est arbitrium aliquod aut iudicium neque laudanda certe est sententia friuola uel infirma, qualis legitur schol. Ven. *A* ad *I* 51: καὶ σχεδὸν ἐν ταῖς χαριεστάταις οὕτως εἶχεν, tamen haec iudicia periisse credendum est saeculi posterioris inscitia et socordia. Seruatum tamen est iudicium de Massaliensis editionis praestantia et dignitate ordine librorum, quem uidemus adhiberi in commentariis: qui ordo fuisse illam ducem chori et signiferam clamat tacitus, cum semper ubique laudata sit loco primo. Editionum enim sunt genera duo, prius collocatur genus editionum κατὰ πόλεις, posterius

editionum κατ' ἄνδρα, harum princeps numeratur Rhiani editio, princeps autem et illarum editionum κατὰ πόλεις et omnium et multitudinē lectionum quae adferuntur et ordinis loco principali indicatur Massaliensis: ut nouissima in honore est et pretio Aristophanea. Itaque censum et gloriam Massaliensis his locis agnoueris, ubi tres editionum ordines, i. e. urbium, uirorum, Alexandrinorum, hoc interposito signo: # distincti:

Schol. Ven. A ad A 97: καὶ ἡ Μασσαλιωτικὴ δὲ # καὶ ἡ 'Ριανοῦ . . .

Schol. T ad II 59: ἐν τῇ Μασσαλιωτικῇ # καὶ τῇ 'Ριανοῦ . . .

Schol. Ven. A ad A 298: ἡ Μασσαλιωτικὴ καὶ ἡ 'Αργολικὴ καὶ ἡ Σιωπικὴ # καὶ ἡ 'Αντιμάχου # καὶ ἡ 'Αριστοφάνους.

ad A 424: ἐν τῇ Μασσαλιωτικῇ καὶ Σιωπικῇ καὶ Κυπρία # καὶ 'Αντιμαχείω # καὶ 'Αριστοφανεῖω.

ad A 485: ἡ Μασσαλιωτικὴ # καὶ ἡ Σωσιγένους # καὶ ἡ 'Αριστοφάνους.

ad Ψ 870: ἐν τῇ Μασσαλιωτικῇ . . . # ἐν δὲ τῇ κατὰ 'Αντίμαχον . . .

ad N 60: ἐν δὲ τῇ Χία # καὶ 'Αντιμάχου

ad Y 188: ἐν τῇ Χία # ἡ 'Ριανοῦ # καὶ 'Αριστοφάνους

ad A 435: ἡ 'Αργολικὴ καὶ ἡ Σιωπικὴ # καὶ ἡ Σωσιγένους

schol. T ad E 461: ἐν τῇ Σιωπικῇ καὶ Κυπρία # καὶ 'Αντιμάχου

Inverso ordine totam librorum seriem afferri in schol. Ven. A ad Γ 51 quiuis facile intellegit: αἱ 'Αριστάρχου καὶ ἡ 'Αριστοφάνους # καὶ ἡ Σωσιγένους # καὶ ἡ 'Αργολικὴ . . . Nescioquo casu Massaliensis in secundum locum deiecta est schol. Ven. A ad A 598: ἐν τῇ 'Αργολικῇ καὶ Μασσαλιωτικῇ # καὶ 'Αντιμαχείω # καὶ ἐν τῇ Ζηροδότου καὶ 'Αριστοφάνους, et schol. BT ad B u. 258: ἡ δὲ Σιωπικὴ . . . ἡ δὲ Μασσαλιωτικὴ . . . # ἡ δὲ κατὰ Φιλήμονα. Et schol. Ven. A legitur ad O 44: ἐν τῇ 'Αριστοφάνους # καὶ Μασσαλιωτικῇ καὶ 'Αργολικῇ . . .: sed hoc loco ordo ueterum editionum saluus est. Apparatus denique criticus Iiadis, quem constituerant Alexandrini, ex eis quae s. s. s. testimoniis colligitur talis: Μασσαλιωτικὴ (29) Χία (14) 'Αργολικὴ (8) Σιωπικὴ (5) Κυπρία (4) Κρητικὴ (1) # Rhiani (22) Antimachi (13) Sosigenis (4) Philemonis (2) # Zenodoti Aristophanis editio, in parenthesi adiecti sunt numeri,

quibus quotiens quaeque adlata fuerit in scholiis editio, indicatur. Massaliensis cum et loco principi posita fuerit simul et plurimum omnium adhibita, merito eius lectio in hoc capite anteferebatur eis quae traditae fuerunt lectionibus reliquis omnibus.

III. Musicus nescioquis artifex, qui Ion uoluit se nominari, docta duo finxerat disticha, quae edita sunt ab Henrico Menge in Euclidis scriptis musicis uol. VIII 1916 p. 216, tradita in cod Marciano hoc modo leuioribus mendis neglectis:

*ἐνδεκάχορδε λύρα, [τὴν] δεκαβάμονα τάξιν ἔχουσι ἀ[εῖ],  
[τάς] <τρεῖς> συμφωνούσας ἁρμονίας τριόδους,  
πρὶν μὲν ὁ ἐπτάτονον ψάλλον διὰ τέσσαρα πάντες  
Ἕλληρες, σπανίαν μοῦσαν ἀειράμενοι . . .*

Chordis igitur XI obtentam adloquitur lyram. Quam ordinem X graduum musicorum exhibere docet, quod inter binas quasque chordas singuli explicantur gressus musici: ergo XI chordae decem tantum gressus siue interualla musica praebere poterunt, quattuor chordae, quod tetrachordon appellatur, nonnisi tria uel interualla uel gressus. Quos gradus tres poeta triuim consonans musicum apte poterit uocare: reuera poeta distichorum, quae s. s. s., illa tetrachorda uocat *συμφωνούσας ἁρμονίας τριόδους*, quod significat: 'recte concinentia harmoniae Doricae triuia'. Nam Dorica harmonia sola uere Graeca fuit, transmarinae fuere et Phrygia et Lydia, quamquam etiam in Graecia claros habuerint sectatores. Adiectium *δεκαβάμων* eleganter fictum est ad similitudinem *τετραβάμων* quod Euripides posuit in carminibus, *δίβαμος εἶμι* in Rhesi diuerbio legitur u. 215. Enumerantur XI soni a Carolo Ian Mus. Scr. Gr. p. 202 in margine, qui hac ratione in III tetrachorda uel triuia sunt distributi Dorica praecedente hemitonio: I. H c d e II. (e) f g a III. h c' d' e', ita ut secundum tetrachordon sit synemmenon sono e communi utriusque tetrachordi, tertium sit diezeugmenon, diazeuxis fiat tono integro inserto inter a et h sonos: nisi praestat antecedere duo tetrachorda diezeugmena: e f g a, h c' d' e', nouissimum tetrachordum (e') f' g' a' sono e' communi esse synemmenon, id est coniunctum prioribus. Itaque de interpretatione distichi prioris non est, quod ambigatur, de emendatione tamen dissentiunt. Vltimum u. 1 uerbum *ἔχουσα* editores priores agnouerunt, Aeolicam formam et Diels et Wilamowitz uoluerunt agnosci in formis corruptis *ἔχουσι ἀεῖ*: quod nisi conceditur, quomodo simul cum optatio inepta

optatio ἔχουσι ἀεὶ nasci potuerit intellegi non poterit. Ille igitur Festschrift Gomperz p. 11 ἔχουσα εἶ proposuit, Aeolismum falsarii fraudem indicare censuit, hic in Timothei editione p. 75 ἔχουσα εἰς iterum commendauit: neutrum probabile erit. Nam etiam in hac re consentiunt uiri docti, quod, cum u. 1 τῆν articulus sit interpolatus, u. 2 τὰς articulum eiusdem esse nugatoris arbitrantur. Sed neque εἰς neque εἶ e uerbis ἔχουσι ἀεὶ eliciendum erit, sed ista uerba nil sunt nisi participii ἔχουσα, quod eorum solum et unicum fuit fundamentum, absurda admodum dilatatio. Excidisse igitur monosyllabon ante συμφωνούσας metrica heroi uersus edocet idque monosyllabon τρεῖς fuisse uel γ' notam in Mengei editione curauit adscribendum ea de causa, quod nemo scriptor, qui modo numerum XI addiderit chordarum, X deinde numerum interuallorum uel graduum, tertio loco, quo tetrachorda III, uel triuia harmoniae consona III erunt laudanda, ipsum numerum τρεῖς, quem ante τριόδους elocutionis ipsius leges rhetoricae suadent ponendum esse, negleget et contemnet. Postremo Aeolismum ἔχουσα litterarum testimonio commoti probabimus: cuius tamen de causa et origine nihil constat. Neque de uersus 3 lectione διὰ τέσσαρα, cuius in locum Bergkius P.L.G. II p. 253 adnotat se in praecedosi δις τέσσαρα scripsisse, est quod dubites, etiamsi hic usus praepositionis alias non sit inuentus. Neque rectius erat, quod metro prohibebatur scribere διὰ τεσσάρων, quo non tetrachordon uel IV sonorum series H c d e potuit appellari, sed interuallum et symphonia duorum sonorum ueluti H—e distantium inter sese tribus interuallis. Itaque ne debuit quidem, si potuit, alium inferre casum atque accusatiuum. Inest praepositioni διὰ sensus fere distributiui, ueluti Herod. I 179 quod legitur: διὰ τριήκοντα δόμων πλήθον id significat *secundum tricena strata latericia*, secuntur uerba ταρσοῦς καλάμων διαστοιβάζοντες, id est *stramenta cannae infercientes*; et Thucyd. III 21: διὰ δέκα δὲ ἐπάλξεων πύργοι ἦσαν id est *secundum denas pinnas* turres erant. Quod poeta scripsit διὰ τέσσαρα cum accusatiuo pro genetiuo, id non miramur. Fluctuat enim usus casuum in hac praepositione et legimus η 139: αὐτὰρ ὁ βῆ διὰ δῶμα, μ 335 ἀλλ' ὅτε δὴ διὰ νήσου ἰών: etiam in pedestri sermone Platonis Gerthius synt. I p. 485 adnot. tradit modo legi apud Plat. reip. II p. 379 E: σπονδῶν σύγχυσιν . . . ἐάν τις φῆ δι' Ἀθηναίως τε καὶ Διὸς γεγονέναι, modo Gorg. p. 515 E: λέγονται Ἀθηναῖοι διὰ Περιπέλα

*βελτίους γεγονέναι*. Itaque lyram *ἐπτάτονον ψάλλον* διὰ τέσσαρα uertendum erit: 'septem chordarum lyram digito pulsabant per quaterna chordarum *κρούματα*', quae tetrachorda appellantur. Sicut enim nos per septenos sonos — octauas quas uocamus — ordines sonorum maiores describimus, ita factum est apud antiquos per tetrachorda. Ordo duorum tetrachordorum in lyra septem chordarum hic fuit secundum Doricam harmoniam: H c d e f g a, tetrachordon secundum erat synemmenon, sonus e et priori et posteriori tetrachordo erat communis. 'Hac denique lyra *πάντες*', inquit, "*Ἕλληνες* psallere solebant, exiguam cantilenam cientes'. Multo enim amplioribus organis utebantur barbari, Aegyptii, Syri, Phoenices, quales erant trigona sambycae nabrae. Quorum et barbaram *πολυχορδίαν* teste poeta uidetur uetus aetas repudiasse et probasse *ὀλιγοχορδίαν* illam, de qua egimus ad Plauti Rud. u. 932. In ultima denique parte elegeae, quae pars periit, laudasse hanc undecim chordarum lyram et copiosam et sonoram nescioquomodo uidetur et commendasse.

Huius ipsius organi XI chordarum memoriam seruabant aetate imperatorum p. R. et picturae et sculpturae, quarum e numero tres equidem possum adferre:

1. In pictura Graeci spiritus plena, quam edidit C. Diehl Manuel d' art byzantin uol. II Par. 1926 p. 608, sumptam e psalterio Graeco Bybliothecae Nationalis Parisinae Gr. 139, Dauid adolescentulus pastor sedet dextrouersum sub umbra magnae arboris, quercus quae uidetur esse, inter oues et capellas cum cane. Sinistra tenet organon XI chordarum, quae inter duas columnas rectas super cistulam resonandi gratia sunt suspensae, dextera chordas tangit digitis, utitur psalterio *χωρίς πλήκτρον διὰ ψαλμοῦ* ut ait Athen. XIV p. 635B. A tergo mulier honesta adsidet *ΜΕΛΟΔΙΑ*, cui est adscriptum uocabulum; exaduersum deus corona ornatus fortis montanus, arboris amplexus stirpem sinistro brachio, dextera caput suum tenens: qui uocatur in titulo *ΟΡΟΣ ΒΗΘΛΕΕΜ*; a dextra parte pone columnam uirgo auscultat quam editor Echo appellat. Paradis quandam picturam pastoris Idae Christianus in suam conuerterat religionem.

2. Tabula eburnea quae adseruatur in bybliotheca Parisina quae uocatur de l' arsenal, edita a L.-M. Michon, Fondation E. Piot uol. XXXII Par. 1932 pl. VII p. 81 seqq. Quae describitur p. 82 '...une plaque d'ivoire antique attribuée au III siècle... représentant une femme jouant de la lyre à onze

cordes avec le plectrum, et assise entre deux hommes qui l'écourent, l'un assis, l'autre debout'.

3. Eiusdem generis tabula, quae Monzae seruatur in thesauro ecclesiae cathedralis, edita ab eodem l. s. s. p. 83 fig. 1. Stat mulier uestita usque ad pedes ueste longa, dextera tenet plectrum, sinistra positam in columna citharam XI chordarum: auscultat homo caluus, nudo pectore, pallio uestitus, qui sedet exaduersum in porticu uelis ex parte maiore conclusa. Sitne illa mulier Musa an poetria, factumne sit III an V saeculo opus aevi imperatorum, nos non quaeremus: illam quam in elegeo s. s. cognouimus musicam etiam in his III operibus cognouisse recte satis sumus contenti. Neque est, quod de neglegentia pictoris aut sculptorum in numero ter qui occurrit undenario suspiceris. Scilicet septenarius numerus in lyrae chordis eadem constantia a uasculorum pictoribus Graecis traditur uisentibus qua quinarius in manuum digitis.

IV. Plauti Casinae u. 364 seq. hoc modo in codicibus traditur optimis:

Atque ego censui apste posse hoc *mecum* impetrare  
uxor mea

365 Casina ut uxor mihi daretur et nunc etiam censeo.  
Quibus in uersibus uocabulum *mecum* et numeris repugnat et sententiae. Quo mutato in *me* Lambinus emendasse uersum uidebatur editoribus probantibus omnibus. Tamen quomodo librarii errore *me* pronomen abierit in *mecum*, nec poterit nec potuit quisquam demonstrare, multoque probabilius erit una littera *c* deleta aptum sensum recuperare quam tribus remotis litteris *cum*, hoc modo:

Atque ego censui áps te posse hoc *meum* impetrare,  
uxór mea,

365 Cásina ut uxor míhi daretur et nunc etiam cénseo.  
Qua in sententia *meum* pronomen possessiuum significat meum i. e. Lysidami senis qui loquitur seruum Olympionem, secundum eam sermonis consuetudinem, qualem inuenimus u. 740: tuus sum equidem, Rud. 1073 comprime hunc sis si tuus[e]st. Dicit igitur uel potius balbutit obtunsi ingenii senex: 'Atque ego credidi a te posse hoc meum seruum Olympionem impetrare, uxor, Casina ut uxor mihi daretur'. Et uoluit ille et debuit hoc dicere: 'Casina ut uxor sibi daretur'. Illud quod dixit cum absurdum sit sensuque careat, stupefacta interrogat Cleostrata uxor:

366 Tibi daretur illa?

Respondet senex plane conturbatus et territus:

LYS. Mihi enim. — Ah, non id uolui dicere:  
'Mihi', dum uolui 'huic', dixi. — Atque adeo mihi dum  
cupio . . . perperam

368 Iam dudum hercle fabulor . . . CL. Pol tu quidem, at-  
que etiam facis.

LYS. Huic — immo hercle mihi — uah tandem, redii  
uix ueram in uiam.

Recta huius loci interpretatio recta eueniet interpunctione. Interrogatur u. 366: Tibi i. e. seni decrepito dabitur Casina? Senex Lysidamus stupidus stupide non negat, sed ait: 'mihi enim': nam particula *enim* affirmantem continet uim, de qua egit Langen Beiträge zur Kritik u. Erkl. d. Pl. p. 261 seqq. Confestim tamen suae conscius factus socordiae sese corrigit: 'Ah, non id uolui dicere: "mihi" dixi, dum uolui "huic" dicere'. In sequenti autem enuntiato senex plane mente turbatus frustula tantummodo sententiarum effundit: 'atque adeo mihi dum cupio (Casinam dari) huic (dico esse dandam)' dicit cum aposiopesi, statim subiciens cum desperatione et clamans: 'immo hercle mihi'!

Et initio quidem sententiae u. 364 *Atque ego* traditum est, tamen *Atqui ego* scripsit Pius, aduersantis esse uerba, non continuantis ille quidem arbitratus. Tamen *Atque* particulam, qua placide continuatur dialogus, multo aptiorem esse remisso sermoni Lysidami senis et miti, quam illud *Atqui*, fortius quod est et ualidius, concedendum est. Similis controversia extat Aul. 287: atque ego istuc, Anthrax, aliouersum dixeram, ubi *atqui* scripsit Pylades, similis Horat. epist. I 2, 33. 7, 2, actum est de *atque* particulae significatione in Thesaurò l. L. s. u. p. 1078, 39. De synizesi, denique uel correctione, quae fit in uerbis *meum impetrare*, id obseruandum est, syllabas *meum im* eodem modo duas breues praestare syllabas uel unam longam cum synizesi, sicuti factum est his uersibus:

Epid. 369 ibi léno sceleratúm caput — *suum imprúdens*  
álligabit

As. 147 túo facit iussú *tuo imperio* páret: mater tu, éadem  
era es

Ter. Phorm. 232 *néc meum imperium* ac mítto imperium  
nón simultatém meam

Plaut. Stich. 747 *sua immunditia quam in perpetuum ut placeat munditiâ sua*

Aul. 594 *retinere ad salutem, non enim quo incumbat eo impellere.*

Quattuor primis exemplis sicut in Casinae uersu s. s. post possessiuum pronomen uocabuli initium patitur aut synizesin aut correptionem, similitudine quadam quintum exemplum uidetur esse adfine.

V. Lucilii u. 802 (852 Terzaghi) hoc modo traditus est: tyroneo et non mortifero adfectus uomica et uulnera ubi *uomicae uulnere* restituit uerba Lachmannus: quae quo spectent in commentario exposuimus. Vocabulum uersus primum ita mutarant editores, ut *Χειρῶννειον* epitheton ablatiuo casu positum intellegatur, quod cum extremo huius uersus substantiuo *uulnere* coniungendum sit. Sed quae ueteres de Chironeo *ulcere* tradunt, ea a tyroneo *uulnere* secernantur oportet, sicut in commentario demonstraui, neque ullo prohibemur argumento, quominus *tyroneo* ablatiuum esse adiectiuum Latini *tironeus* dicamus, legitime formatum ut *carboneus pulmoneus erroneus*. Potuit enim Cicero scribere *epist. VII 3, 2*: signa tirone et collectio exercitu cum legionibus robustissimis contulit: non potuit *tiro* uocabulum tamquam adiectiuum coniungere cum substantiuo *uulnus*, sed debuit adhibere adiectiuum *tironeus* legitime formatum. Quod traditur *tyroneo*, id nequaquam mireris. In sententia e Ciceronis de or. I 218 sumpta apud Nonium p. 180, 24 Gerlachius et Rothius Muellerus Onions Lindsay editores codices Nonii secuti sunt, dum edunt *tyronem ac rudem*. E sermone castrensi sumptum fuit illud adiectiuum, quod nonnisi apud Lucilium seruatum esse ex indole sermonis Luciliani facile intellegitur. Versum tamen non potui recte constituere in editione Lucili, quia ea, quae de elisione *eo* diphthongi postea exponere potui in commentario ad Plauti Rud. u. 941, illo tempore mihi nondum erant explorata. Deest enim initio uersus Luciliani nescioquod monosyllabon:

┆ tiróneo et nó n mortifero adfectus uomicae uulnere: ubi potest quidem suppleri *qui hic nam* alia monosyllaba. De elisione uero *eo* diphthongi constat anapaestico metro uersus Stichi 39:

quia pól meo animo ómnis sápiētis.

In trochaicis *eo* diphthongus eliditur his uersibus:

Cist. 15 uéntum gaudeo ecástor ad te, ita hódie hic acceptaé sumus

Trin. 724 ét capturum spólia ibi illum quí meo ero ad-  
uérsum uenerit  
et quae similia in commentario ad Rudentem l. s. s. collegi  
exempla: in quibus illi uersus, in quibus *eho* interiectio eliditur,  
memorabiles erunt praeter ceteros, ueluti

Trin. 934 *eho* án etiam Arabiást in Ponto? est, nón illa  
ubi tus gignitur.

Denique Acci Sotadeus apud Gellium III 3, 9 quem l. s. s. ita  
constituimus:

umquam fuit | neque adeo Agroecus | neque Commori|entes.  
- - - | ~ ~ - - - | ~ ~ - ~ ~ | - -

Accedunt autem calculis, quibus probatur *eo* diphthongi elisio,  
illi potissimum uersus, in quibus hac elisione probata tollitur  
proceleumaticus, qui uitiosus est accentu cadente, non ascen-  
dente. Qualis est dimeter iambicus Rud. 941: nihil hábeo,  
adulescens, piscium: in quo *eo* diphthongo elisa e proceleuma-  
tico uitioso nascitur tribrachys sanus et sollempnis.

#### VI. Horatius epod. 16 uu. 1. 2:

Altera iam teritur bellis ciuilibus aetas  
Suis et ipsa Roma uiribus ruit.

Exhibet u. 2 schema grammaticum, quo possessiuum *suis* cum  
pronomine *ipsa* coniungitur interiecto *et* uocabulo. Plerumque  
tamen duo pronomina ita sese excipiunt, ut talis fiat ordo  
uerborum: aut *ipsa suis* aut *suis ipsa*: gestiunt enim duo  
uocabula mutuo amore arte copulari. Atque *ipsa suis* cho-  
riambicum colon unice aptum est dactylicis uersibus, quod  
repudiatur ab iambicis et trochaicis, qui anapaestum qui dici-  
tur discissum *ipsa | suis* repudiant: eidem tamen uersus ueluti  
*suum ipse* colon facile capiunt, sicut fit Plaut. Capt. 560 . . .  
*suum ipse* interdum ignórat nomen. Sed *suis ipsa* colon iam-  
bis puris non acceptum est, quibus toterabile id non erit,  
nisi *et* inserto uocabulo factum erit: *suis et ipsa*. Atque de  
colo choriambico *ipsa suis* dactylicis aptissimo facilis erit  
quaestio, indicatque Lucilius 1141: sectatori adeo *ipse suo*  
morem poetarum, quorum in numero Catullus 64, 27 *ipse*  
*suos*, 64, 81 *ipse suum*, 67, 30 *ipse sui*, 66, 57 *ipsa suum*, 75, 2  
*ipsa suo* scripsit, item Lucretius III 881 *ipse sui*, IV 472 *ipse*  
*suo*, V 505 *ipse suos*, VI 279 *ipse suā*, II 159. 650 IV 1280  
*ipsa suis*, II 1092 *ipsa suā*, V 768 *ipsa suo*: quod uocabulo  
inter duo pronomina iniecto tollitur regula, nil mirabimur  
II 102: indupedita *suis* perplexis *ipsa* figuris. Item Tibullus

I 10, 41 *ipse suas*; II 2, 5 *ipse suos*. Sed nemo istorum poetarum etiam *meus* aut *tuus* possessiua in hoc schemate ausus est adhibere, quod Lygdamus fecit 6, 3: *ipse meum*. Neque abstinuit hoc schemate Vergilius, qui in Bucolicis nusquam, in Georgicis semel tantummodo I 103 posuit: *ipsa suas* mirantur Gargara messes, illo loco, quem Ribbeckius secundis curis a poeta additum neque tamen bene concinnatum esse exposuit Proleg. p. 32. Quae sententia magnopere commendatur ea quam hic posuimus obseruatione. In Aeneide enim demum saepius legitur hoc schema, ueluti IV 233 *ipse suā*, VI 780 VII 103 *ipse suo*, XII 660 dextra Occidit *ipsa suā* secundum regulam: tamen IV 336: dum memor *ipse mei*; XII 638: uidi oculos ante *ipse meos* in pronomibus noua ausus est moliri. Perstat in hac noua consuetudine Propertius, qui promiscue posuit *ipse meis*, *ipse tuas*, *ipse suo*. Totam autem huius de qua agit locutionis normam et regulam cernere licet his uersibus Properti propositis:

- II 8, 22 corruit *ipse suo* saucius ense latus  
 22, 28 nullus amor uires eripit ipse suas  
 29, 18 sed quos ipse suis fecit Amor manibus  
 III 20, 17 haec Amor ipse suo constringit pignora signo  
 IV 6, 80 reddat signa Remi: mox dabit ipse sua  
 8, 41 nanus et ipse suos breuiter concretus in artus  
 I 13, 3 at non *ipse tuas* imitabor, perfide, uoces  
 II 18, 35 ipse tuus semper tibi sit custodia lectus  
 III 9, 60 quod ferar in partes ipse fuisse tuas  
 14, 26 ipse tuis: longae nulla repulsa morae  
 I 12, 14 cogor et *ipse meis* auribus esse grauis: ubi  
 Rothsteinii conf. adnotatio;  
 II 34, 19 ipse meas solus, quod nil est, aemulor umbras  
 25 Lynceus ipse meus seros insanit amores.

Noua cum audacia Ouidium hoc schema propagasse uersibus qualis est Heroid. IX 96: 'fertilis et damnis diues ab *ipsa suis*' Burmannus secutus Heinsium adnotauit l. s. s.

Sed pedestris sermonis scriptores, qui metrorum necessitatibus et angustiis non premuntur, diuersa utuntur collocatione pronominum: scribit enim Caesar de b. Gall. VII 64, 3: aequo modo animo *sua ipsi* frumenta corrumpant. Qua collocatione uerborum usus est inter scriptores sermonis pedestris Sallustius, qui ne proprio careat stili ornamento, Catil. 23, 2 scripsit: *suamet ipse* scelera, Iug. 31, 6: *suomet ipsi* more, 8, 2: *suamet ipsum* pecunia: imitatus est Liuius bis XXII

14, 13 *suomet ipsam* apparatu, XXXIV 15, 8 *suomet ipsi* agmine, in reliquis est modo poetis similis, modo collocatione uerborum usus est pedestri: cuius usus exempla nonnulla collegit Fabri ad XXI 33, 3. Atque semel scripsit ille more poetarum VII 4, 3: saeuitiae . . . quam . . . in proximis ac sanguine *ipse suo* exerceret, saepius tamen ut scriptores pedestres XXXIX 49, 3 *suo ipse* casu, I 11, 9 *sua ipsam* peremptam mercede; XXI 33, 3 *suoque ipsum* tumultu; I 54, 8 *sua ipsos* inuidia; X 36, 5 *sua ipse* subsidia. Neque tamen aut Horatius aut Cicero aut Caesar usi sunt hoc schemate, quo differt a Caesare auctor belli Africi, qui poetarum more collocat: 20, 4 *ipsi suis* praesidiis; 64, 2 *ipse suam* causam; 88, 4 *ipse suis* manibus; 90, 1 *ipse sua* bona.

Itaque Horati unde exorsi sumus uersus epod. 16, 2: *suis et ipsa* Roma uiribus ruit — secernendus est ab eis, quae hoc schema grammaticum exhibent locis poetarum et pedestrium scriptorum ea de causa quod uocabulo *et* inserto inter pronomina color huius schematis plane mutatur. Propter similitudinem autem et uerborum et argumenti duo Liui enuntiata in commentario quae adferantur summopere sunt digna. Alterum VI 19, 6 quod legitur 'ut *suis ipse* oneratus uiribus ruat' ab Heinzeo adfertur: addendus est locus II 44, 2: quando inuentum sit *suis ipsam* uiribus dissolui. Vtroque loco schema illud secundum sermonis pedestris consuetudinem uerba exhibet collocata. Accedunt autem duo loci e Ciceronis orationibus item similes, quibus uerba secundum poetarum aevi Sullani consuetudinem collocata sunt: priore loco enim non possessiūm, sicuti apud Liuium, sed *ipse* pronomen ponitur, posteriore *suis* pronomen: pro Cael. 45: ingenium . . . quod saepe etiamsi industria non alitur, ualet tamen *ipsum suis* uiribus; Phil. XIV 8: ruit *ipse suis* cladibus; quae Philippicae uerba in annotatione comparauit Fridericus Schoell cum uersu Horati s. s. et sumpta esse ea e Lucilio conicit poeta. Quos locos Ciceronis item similitudine et uerborum et argumenti adducimur ut cum uersu Horati conferamus. Videtur scilicet uersus Horati ad exemplar ueteris alicuius poetae Romani esse factus, cuius uersus et apud Horatium et apud Ciceronem et apud Liuium memoria colebatur inprimis.

Bonnae.

Fridericus Marx.